



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De iis qui circularibus Basilisci literis aßensi concilium reiecerunt. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

111
EVAGR. HISTORIAE
statum pacatum & quietum allatura.

De iis qui circularibus Basilisci literis assensu concilium reiecerunt. Cap. V.

His literis à Zenone generatim ad omnes scriptis Timotheus, qui modò, vti dixi, ab exilio reuerterat, vti à Zacharia rhetore literis proditum est, assensit. Idem fecit Petrus antistes Antiochiæ, cognomento Cnapeus: qui erat tum Constantinopoli vnà cum Timotheo. His rebus ita constitutis, Paulus ad sedem archiepiscopatus Ephesiani capescendum deligitur. Fertur Anastasium quoque, qui post Iuvenalem antistes Hierosolymorum fuit, illis Basilisci literis scriptis ad oēs generatim, subscripsisse: aliosque præterea complures circiter quingentos numero idem præstitisse, qui Leonis decisionem, & concilium Chalcedonense abrogarunt.

Quinetiam extat supplex libellus ab episcopis Asiae, qui Ephesi conuenerunt, ad Basiliscum scriptus. Ex quo nonnulla sumpsimus, quæ sunt hoc loco à nobis posita.

Sanctissimis Christi que amantissimis, dominis nostris Basilisco, & Marco Victoribus, Semper Augustis. S. Et alijs interiectis adiungit ista, Omnino ô sanctissimi & Christo deditissimi Imperatores, vnà cum fide, quæ & iniusta est, & varijs modis impugnata, vos impugnari declarastis. Ac paulo post: Terribilis quædam expectatio Iudicii, diuinæ iræ flamma, & Iusta vestræ clementiæ indignatio è vestigio aduersarios occupauit: qui & præpotentem Deum & vestrum imperium vera fide roboratum arroganter inuadere impugnareque moliuntur: quique non modò non cessant nostram tenuitatem varijs incommodis afficere, verùm semper nos calumniari, falsa crimina contra nos confingere student, nimirum vestris diuinis & apostolicis literis generatim scriptis ad omnes, nos non nisi vi ac necessitate compulsos subscripsisse: quibus certè nos libentibus animis, & propensa voluntate subscripsimus. Ac rursus infra paulò. Nolite alia decreta contra literas vestras generatim scriptas decernere, pro certo, vti diximus, persuasi mundum, si id feceritis, seditionibus euersum iri, & mala è concilio à Chalcedonensi orta, ob quæ qui-

quidem infinitæ cædes factæ, sanguisq; orthodoxorum iniuste & iniquè fusus est) exigua admodum videri. Postea etiã addit: Contestamur coram Seruatore nostro Iesu Christo nostrum cultum erga deum & pietatem liberam esse: oramusq; vt cum illi tum præcipue episcopus Constantinopolis, qui nequiter multis in rebus suo officio functus deprehenditur, iusto, canonico, & ecclesiastico iudicio condemnetur, abdiceturq; episcopatus gradu. Zacharias porro ista quoq; scribit ad hunc modum. Literis imperatoris, quas scripsit generatim ad oes, diulgatis, monachi, qui Constantinopoli peruerso errore Eutythis infecti erant, rati se, cum Timotheum & literas imperatoris nacti fuissent, subsidia ad hæresim suam tuendam inuenisse, sperantesque se iam suum institutum commodè posse persequi, propere ad Timotheum se conferunt: ac cum à Timotheo, qui Dei verbum secundum carnem nobis consubstantiale, patri autem consubstantiale secundum diuinitatem ostendit, essent refutati, domum reuerterunt.

Quòd Aclurus Timotheus Alexandrino episcopatu recuperato, patriarchatus ius ecclesiæ Ephesinæ reddens, Chalcedonense concilium anathemate percellerat. Cap. VI.

Idem scriptor narrat Timotheum Constantinopoli egressum, perrexisse Ephesum, Paulumq; illius vrbs pontificem (qui quidem iam dudum ab episcopis prouinciæ, sicut vetus ecclesiæ consuetudo postulat, creatus fuerat, sede tamen post exciderat) in sede episcopali collocasse. Reddidit præterea idem Timotheus ecclesiæ Ephesianæ ius patriarchatus, quod concilium Chalcedonense, vt ante demonstratum est, ei ademerat. Inde tandem soluit, petitque Alexandriam: ibi ab omnibus, qui ad eum accedebant, postulauit, vt concilio Chalcedonensi anathema denuntiarent. Resilierunt ab eo, sicut à Zacharia traditum est, cum alij complures suæ factionis, tum Theodotus, vnus ex eorum numero, qui Ioppe à Theodosio, episcopo tum à quibusdam designato Hierosolymorum, cum Iuuenalis Constantinopoli confugerat.